This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

482R

E. BIBL. RADCL.

19154 d 7



ROMANARUM PLANTARUM
FASCICULUS ALTER.

Accedit

ENUMERATIO

PLANTARUM SPONTE NASCENTIUM

IN RUDERIBUS

AMPHITEATRI FLAVII

AUCTORE ANTONIO SEBASTIANI

MEDICINÆ DOCTORE, IN NOSOCOMIO SS. SALVATORIS AD SANCTA SSRUM

MEDICO PRIMARIO, IN ARCHIGYMNASIO BOTANICES

PROFESSORE, ACCADEMIÆ ITALICÆ SOC. HONOR.

AMPHITHEATRVM FLAVIVM

ROMÆ MDCCCXV

TYPIS PAULI SALVIUCCI ET FILII

PRÆSIDUM FACULTATE.

Cognitione specierum innititur omnis solida eruditio Physica, Medica, Oeconomica.

Lin. Philos. Bot.

ILLMO ET REMO DOMINO

THOMÆ PRELÀ

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII VII

PONT. OPT. MAX.

ARCHIATRO ET A CUBICULO,
PRIMARIO IN NOSOCOMIO SANCTI SPIRITUS,
XIIVIRO MEDIC. ALUMN. JUDICANDIS.

ANTONIUS SEBASTIANI

S. P. D.

Quem alterum Romanæ Florœ fasciculum duobus abhinc annis colligendum suscepi, is tandem operis subcisivis expletus, non alii certe, Vir Amplissime atque Excellentissime, quam Tuo nomini inscriptus in lucem prodire debet, ac Te sibi patronum atque auspicem invenire, qui mihi auctor ad illum absol-

vendum extitisti. Cum enim ego domesticis impeditus difficultatibus, ac quotidiana vagaque medendi exercitatione defessus, in suscepto labore despondere *cœpissem, Tute, cui præter excellens morum ac omnium disciplinarum ornamentum, eximia prorsus ac singularis ingenii, oris, humanitatisque suavitas inest, ut ad earumdem cultores erigendos recreandosque non assuetus modo, sed omnino factus esse videaris, me primum alacri erectoque animo esse jussisti; deinde quo studio impenso, ac suada facundia apud Principem Optimum, doctissimum Præsidem, sapientissimos hujusce Romani Archigymnasii Moderatores de amplificando bonarum artium splendore mirifica animorum consentione cogitantes antea perfeceras, ut nonnullarum Facultatum clementa, quæ in hac amplissima Sapientiæ sede adhuc desiderabantur, ac præsertim utraque Clinice, Medica videlicet et Chirurgica ad communem omnium utilitatem, ac memoriam Pontificatus excitaretur sempiternam; eadem, inquam, opera curasti, ut vel hoc perexiguum tenuitatis ac industriæ meæ in re herbaria tentamen ante tantorum virorum oculos obversaretur, et peropportunis subsidiis alendum, ac sustentandum videretur. Cujus quidem perhumani officii Tui, simul et supremæ ac beneficentissimæ in me voluntatis cum mihi ex eo potissimum præclara suppetant argumenta, quod scilicet me nominis prope nullius hominem perhonorifice in celeberrima Urbis Academia alterum Botanices magistrum ex Pa-*

tentibus Literis acceptis cognovi esse designatum; idcirco ingratus profecto essem, nisi utrumque quanti a me faciendum sit intelligerem, et hac saltem publica significatione textarer. Quia vero id satis esse nullo modo posse video, planeque sentio, uti aliqua ex parte hujusmodi beneficentiæ minus impar evadam si nulla alia in re, at certe et industria et diligentia et crebris per agrum nostratem excursionibus operam navabo, ut indigenarum Plantarum catalogum a me jam pridem inchoatum ita absolvam perficiamque, ut Tua de me judicia sustineat, Academiæ consulat dignitati, ac exterorum votis satisfaciat.

Poterit imprimi, si iis, quibus jus est imperandi, ita videbitur. Datum hac die 13 Septembris 1815.

L. P. Bottini Romani Archigymnasii Rector Dep.us

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sac. Palatii Apostolici Magistro.

C. M. Frattini Archiep. Philippensis Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Philippus Anfossi Sac. Pal. Apost. Magister.

CLASS. III.

TRIANDRIA.

DIGYNIA.

Bromus barbatus. *(Tab. I.)*

B. culmo basi geniculato; foliis subconvolutis; panicula spiciformi, contracta, pedunculis simplicibus compressis; valva altera minima; glumis apice aristatis, margine barbato-ciliatis. *Savi Bot. Etrusc. Vol. 2. p. 61.*

Festuca *(ciliata)* culmo adscendente, foliis subconvolutis, spica racemosa, calycis valva altera minima, corollina exteriore margine ciliata. *Pers. Syn. t. 1. p. 94.*

Gramen bromoides spicatum maritimum annuum, glabrum, spica heteromalla, locustis amplioribus aristatis, glumarum ore cilii ad instar villis canescentibus ornato. *Michel. catal. Hort. Pis. p 76.*

Radix fibrosa, fibris capillaribus subvillosis. Culmi plures ex radice mono-sesquipedales, adscendentes, basi cæspitosi, ramosi, geniculati, foliosi. Folia duos pollices circiter longa, angusta, subconvoluta. Vaginæ striatæ, glabræ, subcœruleo-virides, uti et exterior folii pagina. Ligula minima, truncata, crenata. Culmi superne ab ultimo geniculo unico tantum folio sunt obsiti. Panicula bi-tripollicaris, spiciformis, contracta. Pedunculi sesquilineam longi sim-

plices, compressi. Spiculæ erectæ, colore subcœruleo-viridi variegatæ, sub sex-floræ, valva calycina altera minima. Gluma corollina exterior apice aristata, arista ejusdem cum gluma longitudinis, carinata, carina subaspera, cæterum glabra; interior margine utrinque barbato-ciliata.

Vulgatissima in Litore arenoso Maris *a Ostia e a Fiumicino.*

Floret Junio. *Ann.*

Hoc pulcherrimum gramen, quo itala Flora a celeberrimo Michelio ditata fuit, omnes mei Amici Botanici, quibus illud dono misi, valde gratum et acceptum habuere. Non convenit inter eosdem in assignanda specie ad quam spectaret. Alii siquidem opinabantur eam esse *Festucam ciliatam Persoonii*, alii *Festucam alopecurus Schousberii.* Clarissimus Dominus Gajetanus Savi mihi amicissimus illustrator indefessus specierum sui concivis botanici a recentibus neglectarum reducendam existimavit ad *Festucam ciliatam Persoonii*, et referendam ad genus *Bromus;* quod quidem jure factum esse judico. Et revera Persoonius suæ *Festucæ ciliatæ* tribuit pulchrum characterem alterius ex valvis calycinalibus minimæ, quod haud enuntiatur de *Festuca alopecurus* neque a Schousberio hujusce speciei inventore, neque a Wildenovio, neque a Persoonio. Imo Poiretius in *Supplem. Encyclop. t. 2. p. 636.* disserens de *Festuca alopecurus* aperte nos admonet, valvas calycinales hujus speciei inter sese æquales esse. Hinc prætermissis notis

minus gravibus, en unam dumtaxat, quæ nostram speciem penitus removet a *Festuca alopecurus.*

Peræque visum est referre illam ad genus *Bromus*, cum recentiores clarioris notæ Botanici autumarint characterem hujus generis tutius desumi ex ciliis glumæ interioris, quam ex insertione aristæ, utpote *quæ in pluribus speciebus difficillime determinatur, et sæpe variabilis est* (sunt verba Smithii).

Hinc factum est ut ego quam libentissime accesserim opinioni D. Savii in illustranda hac specie ea, qua destituebatur, Icone.

CLASS. V.

PENTANDRIA.

DIGYNIA.

BRIGNOLIA PASTINACÆFOLIA. *(Tab. II.)*

B. involucrum universale, et involucella polyphylla, filiformia, reflexa ; corollæ æquales, inflexæ ; semina cylindracea, striata, glabra. *Bertol. Diar. Botan. Paris* 1813. *t.* 2. *p.* 76.

Radix perennis, cylindrica, prælonga, ad collum fibris rigidiusculis circumdata, in extremitate modo in ramos divisa, modo ita attenuata, ut fusiformis potius dici debeat. Caulis bipedalis, et tripedalis, glaber, striatus, dichotomus, solidus. Folia petiolata, inferiora pinnata, foliolis subcordatis, acutis, sessilibus, glabris, argute serratis; superiora nunc simpliciter pinnata, nunc bipinnata foliolis lanceolatis, inciso-serratis. Petioli communes dilatati, basi valde nervosi genicula tumidiuscula amplectentes. Umbellæ tot quot rami, 10 usque ad 20 circiter radiis constantes. Involucrum polyphyllum, reflexum, foliolis lineari-acutis, subfiliformibus; involucella conformia. Flores omnes fertiles; petala æqualia, inflexa, lutea. Semen cylindricum, glabrum, striatum.

Floret Junio in collibus arenoso-calcareis extra portam portuensem octavo circiter ab Urbe milliario, et quidem magna copia. Reperitur etiam eodem in

loco inter messes in solo pingui, ubi magis luxuriat, et maxime oblectat suis luteis floribus, qui permixti viridantibus campi aristis mutua vicissitudine magis emicant.

Quatuor abhinc annis detexeram hanc pulcherrimam plantam. Dudum mihi contendere oportuit cum amicis Botanicis num ad quodpiam notorum generum referenda illa esset, an novum genus efformandum. Anceps hac super re adhuc hærebam cum sagacissimus Bertoloni Botanicus Januensis valde benemeritus de itala Flora in Diario botanico parisiensi evulgavit hoc novum genus a se repertum in Liguria illud inscribens Cl. Joanni Brignolio, ejusque illustri cognomine exornans.

Ego et nomen et genus statim amplexus sum, illudque religiose servo, cum honorificum, ac gloriosum sit Botanico, qui ingenii sui vires periclitatur in laborioso studio Floræ italæ. Utinam aliquando huic operi arduo sane, ac perdifficili extrema manus imponatur!

CLASS. VI.

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

HYACINTHUS ROMANUS. *(Tab. I.)*

H. corollis campanulatis semisexfidis, angulatis, racemosis, staminibus membranaceis.

Hyacinthus romanus. *Lin. Regn. vegetab.* 276. Mant. 224.

H. comosus albus belgicus. *Bauh. pin.* 42.

H. comosus albus cum cœruleis staminibus. *Joan. Bauh. Hist.* 2. *p.* 584.

H. comosus albus. *Lob. Advers.* 460.

H. comosus albo flore. *Clus. rar. plant. Hist. lib.* 11. *p.* 180.

Bulbus nucis juglandis circiter magnitudinis, squamosus, squamis concentricis crassis, extus membrana scariosa nigricante tectus. Scapus palmaris, pedalis, cylindricus, lævissimus. Folia lanceolata, canaliculata, scapo longiora, majori diametro semipollicem lata. Flores racemosi, racemus bi-tripollicaris. Bracteæ minutæ, membranaceæ, obtusæ, albo-carneæ. Pedunculi floribus subæquales. Corollæ campanulatæ, cylindrico-ovatæ, angulatæ, ultra medium sex-fidæ, albæ. Stamina longitudine corollam subæquantia. Filamenta laciniis corollæ opposita, lanceolata. Antheræ pulchre cœruleæ. Cætera generis.

Vulgatissimus romanum per agrum, præcipue in pratis, in hortis etc.

Floret Martio, Aprili, *Perenn.*

Hæc planta communis non solum Romæ, sed et in tota meridionali parte Italiæ parum innotescit Botanicis qui non degunt sub hoc felici Cœlo. Icones quæ de ipsa extant penes veteres auctores sunt omnes insculptæ ligno, et characteribus destitutæ. Mihi visum est gratum facturum Botanicis tradendo ejusdem Iconem ære incisam in hoc altero fasciculo. Non parum mihi displicet illam non fuisse perfecte expressam; siquidem in ea desiderantur illi anguli, qui constanter observantur in corolla, quosque adnotavi in phrasi specifica; et corolla apparet aliquanto patentior quam ferat natura rei.

CLASS. X.

DECANDRIA.

PENTAGYNIA.

CERASTIUM CAMPANULATUM. *(Tab. III.)*

C. adscendens, diffusum, villosum; foliis radicalibus spathulatis, caulinis oblongis; panicula dichotoma; corollis campanulatis, petalis semibifidis calyce duplo longioribus.

Cerastium campanulatum. *Viviani Ann. Botan. t.* 1. *p.* 2. *p.* 171.

Cerastium ligusticum. *Viv. catal. Hort. botan. di Negro.*

Cerastium præcox. *Tenore Flor. Nap. distrib.* 2. *p.* 27.

Radix tenuis. Caulis valde diffusus, adscendens, palmaris, pedalis, villosus. Folia inferiora spathulata, caulina ovato-oblonga, sessilia, obtusiuscula, utrinque villosa. Flores paniculati, panicula dichotoma. Pedunculi filiformes. Calycis foliolæ hirsutæ, lanceolatæ, acuminatæ, margine scariosæ. Corolla alba, campanulata, petala subbifida, calyce duplo longiora. Stamina decem. Capsula ovato-oblonga.

Distinctissimum a *Cerastio vulgato L.* inflorescentia.

Reperitur circa Romam ubique.

Floret initio Aprilis ad Augustum, *Ann.*

CLASS. XVII.

DIADELPHIA.

DECANDRIA.

ERVUM UNIFLORUM. *(Tab. IV.)*

E. pedunculis monofloris, leguminibus glabris dispermis; foliis 2-3 jugis, petiolo communi mutico, foliolis oblongis, obtusis, infimis obcordatis.

Ervum uniflorum. *Tenore Flor. Nap. distribuz.* 3. *p.* 42.

Planta 4-5-6 pollicaris, diffusa. Cauliculi anguloso-subancipites. Folia pinnata absque cirrho 2-3 juga. Stipulæ semisagittatæ acutæ; foliola infima obovato-obcordata; superiora oblonga, sublinearia, obtusiuscula, omnia submucronulata. Pedunculi filiformes folio longiores 1-flori. Calycis laciniæ subulatæ corolla semi-lineam breviores. Legumen dispermum, glabrum, obovatum. Tota planta pilosiuscula.

Floret Majo. *Ann.*

Reperitur sed rara in ruderibus aridissimis thermarum Diocletiani hodie *Convento della Certosa*. Unicum tantum specimen possideo lectum hocce anno in elatiori parte vix accessibili ruderum Amphitheatri Flavii.

Trifolium Sebastiani. *(Tab. IV.)*

T. caule diffuso; stipulis petiolo etiam longioribus; foliis ternatis ; capitulis sphæricis laxis. *Savi Diar. med. Flajani ann.* 1815.

Caulis cylindricus, purpurascens, glabriusculus, diffusus. Folia ternata, foliolis infimis obovatis, superioribus lanceolatis, obtusis, denticulatis, margine vix pubescentibus, pagina superiori læte viridi, inferiori subglauca. Stipulæ apertæ in foliis inferioribus petiolo breviores, in superioribus longiores. Pedunculi folio subæquales. Capitula 10-15 flora, globosa, post anthesim hemisphærica. Flores pallide flavi. Vexillum substriatum, obtusum, subintegrum, dein leviter inflexum, medio ochraceum, margine albescente. Calyx glaber dentibus subulatis duobus superioribus vix brevioribus, omnibus apice piliferis. Legumen membranaceum, monospermum.

Reperitur Romæ in sylvulis prope Urbem, uti *Macchia di Marco Simone, dei Mattei, Pigneto di Sacchetti.*

Floret Junio. *Ann.*

MEDICAGO SPHÆROCARPOS. *(Tab. III.)*

M. pedunculis multifloris; leguminibus globosis, anfractibus arctissime adpressis, aculeolis brevibus biseriato-convergentibus; stipulis laciniatis; foliolis rhombeo-obovatis, argute serrulatis. *Bertol. III. ital. Plant. Dec. p.* 60.

Radix fusiformis aliquantulum fibrosa. Caules plures ex radice 1 - 3 pedales, procumbentes, obtuse quadrangulati, sulcato-striati, basi atro-virides, ramosi. Folia petiolata, ternata, foliola rhombeo-obovata apice argute serrulata, lateralia subsessilia, medium petiolatum petiolo articulato. Stipulæ margine laciniatæ laciniis subulatis. Pedunculi folio duplo longiores 1 - 5 flori, subaristati. Calyx pilosus quinquefidus laciniis æqualibus. Corolla lutea. Legumen sphæricum, aut ovale, anfractibus arctissime adpressis, aculeolis brevibus subulatis in quavis spira biseriatis, parallellis. Planta glabra.

Reperitur in collibus Vaticanis extra portam Flaminiam.

Floret Majo, Junio.

Qui plura optat de hac planta adeat Cl. Bertoloni hujus speciei inventoris tertiam rariorum Italiæ plantarum decadem, ubi copiosa, atque accurata descriptio reperitur.

CLASS. XVIII.

SYNGENESIA.

POLYGAMIA ÆQUALIS.

CREPIS LATIALIS. *(Tab. V.)*

C. foliis lyrato-pinnatifidis, dentatis; floribus paniculatis; squamis calycinis niveo-tomentosis, dorso setoso-muricatis.

Radix fusiformis paucis fibris filiformibus lateralibus obsita. Caulis 2-3 pedalis, sulcatus glabriusculus. Folia radicalia et caulina inferiora lyrato-subpinnatifida, lobis figura variis, modo subovatis argute denticulatis, modo sublanceolatis diversimode lacinulatis in utroque margine superiore, et inferiore: caulina superiora linearia basi pinnatifida, demum subfiliformia. Flores exacte paniculati, alterni in tota ramorum paniculæ longitudine, ramis adscendentibus, rigidis. Calycis squamæ niveo-tomentosæ, carina atro-virentes, subsetosæ, externæ subulatæ, laxiusculæ. Semen atro-flavum, striatum. Pappus niveus, sessilis, simplex, tactu mollis, sub lente scaber.

Floret Julio.

Reperitur frequens in montibus Latii. *Ann.* ?

Hæc Crepidis species maxime adfinis est *crepidi præcoci Balbisii (taurinensi W.)*, *et crepidi bienni L.* Differt a prima, ut cæteros minoris momenti characteres præteream, pappo sessili; pluribus notis

ab altera; Crepis enim biennis folia habet runcinata, lobis margine superiore dentato, inferiore integro; flores in corymbo terminali, stricto; pedunculos 1-2-flores; pappum uti et tomentum squamarum calycinalium sordide album.

Pro mea super crepide latiali sententia decertant clarissimæ notæ Botanici. Verum, cum mihi plane exploratum sit, quam polymorphæ sint hujusce generis species, nondum habeo pro comperto prorsusne discrepet hæc species a crepide bienni L. Idcirco Lectoris oculis subjeci Iconem, quæ Plantam perfecte referret; et Botanicos etiam, atque etiam oro, obsecroque, ut illam cum speciminibus Linnæanæ speciei suorum herbariorum conferant, quidque sentiant de ea palam expromant; omnibus autem exhibeo semina, ac sicca specimina, quorum animadversione accuratius adhuc hanc super rem judicium ferant.

Cnicus strictus.

C. foliis semidecurrentibus, subcoriaceis, lanceolatis, sinuatis lobis 2-3 fidis, spinosis, divaricatis, subtus tomentosis; floribus terminalibus, racemoso-glomeratis, subsessilibus; calycinis squamis lanceolato-mucronatis, patentibus.

Cnicus strictus *Tenore Flor. Nap. distrib.* 3 *p.* 48.

Carduus nemorosus italicus *Barrel. observ.* 925 *p.* 417.

Carduus pycnocephalus sylvestris *Triumph. observ.* 100.

Radix in ramos fibrosos divisa. Caulis 4-5 pedalis, glaber, sulcatus, strictus. Folia radicalia sessilia, subcoriacea, supra atro-viridia nervis albidis, subtus tomentosa, lanceolata, sinuata, lobis 2-3-4 fidis, spinosis, undulatis; caulina conformia, semidecurrentia, lobis bifidis, spinis validioribus, divaricatis. Caulis apice emittit flores subsessiles, conglomeratos; raro in paucos, parvosque ramos dividitur omnes florum glomerulum sustinentes; rarissime hujusmodi ramuli unicum, duos, aut tres ad summum flores ferentes elongantur, ac veluti parvum corymbum efformant. Calyces ovati, squamis lanceolato-mucronatis, patentibus. Flores atro-purpurei. Semen ovatum. Pappus plumosus, candidus.

Floret Augusto. *Perenn.*

Reperitur in montibus Sabinæ et Latii vulgatissimus.

Barrelierius reliquit nobis iconem hujus Plantæ, quæ non innuit vere modum, quo folia in caulem decurrunt, at nihilominus perfecte refert habitum plantæ, formam foliorum, atque inflorescentiam. Desideratur tamen ejus descriptio.

Noster Triumphettius colebat in Horto Romani Archigymnasii eamdem Plantam ex seminibus collectis in montibus Tusculi, ac de ea tradit veram, copiosamque descriptionem juxta morem suorum temporum, cui superaddit iconem accurate confectam præterquam in inflorescentia ubi aliquantum aberrat a veritate.

Cl. Tenorius, quod sciam, minime retulit ad suum *Cnicum strictum* synonima Barrelierii, et Triumphettii, quæ ab ipso Linnæo, et ab omnibus ejus commentatoribus referuntur ad *Carduum pycnocephalum*, cum quo *Cnicus strictus* nullam omnino habet similitudinem, nec analogiam. Sola inspectio iconum horum auctorum exploratam rem facit; verum copiosa descriptio Triumphettii omnem a nobis dubitationem expellit.

Cnicus syriacus. *(Tab. VI.)*

C. caule ramoso; foliis semiamplexicaulibus, auriculatis, oblongis, pinnatifidis, spinosis, albo-venosis, utrinque glabris; floribus capitato-glomeratis, axillaribusque subsessilibus, bracteatis; squamis calycinis oblongo-lanceolatis, mucronatis, patentibus.

Cnicus *(syriacus)* foliis amplexicaulibus, oblongis, dentatis, spinosis, albo-venosis; floribus subsessilibus, bracteatis; calycinis squamis oblongo-lanceolatis, adpressis, mucronatis. *Wild.*

Carduus *(syriacus)* foliis amplexicaulibus, angulato-spinosis; floribus solitariis, subsessilibus, obvallatis foliolis subquinis. *Hort. Cliff.* 393. *Hort. Upsal.* 250. *Desf. Atl. 2. p.* 345.

Carduus maculis albis notatus, exoticus. *Bauh. pin.* 381.

Carduus latifolius echinos obsoletæ purpuræ ferens. *Bauh. pin.* 380.

Carduus lacteus syriacus. *Camer. Hort.* 35. *t.*10. *cum icone mala.*

Carduus lacteus peregrinus *Camer. Bauh. Hist.*3. *l.* 25. *cap.* 53. *cum icone Camer.*

Carduus lacteus syriacus *Camer. Moris.*57. *t.*30. *f.* 5. *cum icone eadem.*

Cirsium syriacum. *Gærtn. de fruct. et sem. cum icone calycis floriferi suis bracteantibus foliolis stipati; perfecte convenit cum nostra planta.*

Caulis erectus, sub-orgyalis, glaber, sulcatus,

ramosus. Folia utrinque glabra, pagina superiori venis albis variegata, ut in *carduo mariano L.*; radicalia ovato-oblonga, sinuato-subpinnatifida laciniis undulatis, inæqualiter lobatis, lobis spinosis, spina plus minus valida terminatis; caulina inferiora conformia semiamplexicaulia, auriculata auriculis caulem amplectentibus, sed non adhærentibus; superiora lanceolata, vere pinnatifida laciniis trilobis, lobis lanceolatis, divaricatis, ac validissime spinosis. Calyces ovati; modo sessiles, modo brevi pedunculo instructi, arachnoideo-pubescentes, terminales, congesti a 5 ad 10 raro minores 5, axillaresque solitarii. Basi calycis adhærent 3-4-5 foliola, extremis caulis foliis conformia. Calycis squamæ angusto-lanceolatæ, mucronatæ, patentes. Corolla purpurea. Pappus plumosus.

Floret Junio, et reperitur Romæ extra portam Portuensem prope cauponam vulgo nuncupatam *di Ponte galera.*

Cnicus syriacus promiscue crescit cum Carduo mariano L. atque adeo ei similis, ut primo intuitu secundam hanc speciem diceres non solum pro foliorum forma, ac venis albis, quibus pagina superior est notata, sed etiam pro inflorescentia. Florum enim capitula in apice ramorum spinosis foliolis bracteata unicum tantum effingunt florem, ac spinosa foliola præseferunt spinosas squamas refractas, quæ observantur in cardui mariani calycibus.

Hujus speciei cognitio fere tota innitebatur ico-

ni Camerarii, quæ ad unguem relata fuit a Bauhino, et Morisonio, nulla superaddita animadversione. Cæterum hujusmodi icon penitus falsam nobis ingerit cognitionem de hac specie. Illa enim præsefert plantam simplici caule, solitariis floribus in axillis foliorum instructam. Inter multa individua a me inspecta, et perpensa nullum plane reperi caule simplici præditum, et solitarios flores in foliorum axillis gestans. Animadverti dumtaxat numerum florum in ramorum apice in capitulum collectorum variare a 5 ad 9, vel 10, uti etiam in ramis magis sterilibus numquam deprehendi minus 3. Nil mirum quod Camerarii icon adeo parum accurata evaserit, cum ipsemet nobis fateatur se illam delineandam curasse ex sicco specimine. Ut reor id specimen fuerit aliquis ex deterioribus ramis, qui præferret capitulum 3-florum, et revera duo ultimi flores in prædicta figura apparent inter sese minimo intervallo dissiti. Reliquum autem caulis usque ad radicem, quæ apparet in figura, absque ramis ac valde foliosum procul dubio vel Auctoris imaginatione, vel falsa donatoris relatione fuerit suffectum.

Quomodocumque se res habeat nostra, quam exhibemus, icon præsefert ramum plantæ suis floribus ornatum, atque unum ex inferioribus foliis naturalis magnitudinis, quæ veram præbet notionem plantæ : et ecce plantam syriacam, maurusiacam, hispanam, et cretensem inter romanas plantas adscitam. Est cur gaudeant Itali Botanici quod Flora peninsulæ nostræ magis, magisque ditescat in dies!

ENUMERATIO PLANTARUM

SPONTE NASCENTIUM

IN RUDERIBUS

AMPHITHEATRI FLAVII

A

1. ACANTHUS *mollis* L.
   A. foliis sinuatis, inermibus L.
   A. sativus. *Dodon. pempt.* 719.
   Flores albi. Majo, Junio. *Perenn.*
2. AGROSTIS *milliacea* L.
   A. gluma exteriori arista terminali, recta, mediocri; floribus ovatis lævibus. *Pers. synops. t.* 1 *p.* 64.
   Gramen milliaceum majus nutante panicula. *Barrel. Ic.* 754.
   Floret Junio, Julio. *Perenn.*
3. ALSINE *media* L.
   A. caule latere alterno piloso, petalis bipartitis, foliis ovato-cordatis.
   A. minor. *Dodon. pempt.* 29.
   Flores albi. A Martio ad totam fere Æstatem. *Ann.*
4. ALLIUM *album*.
   A. scapo nudo obsolete triquetro; foliis radicalibus lineari-lanceolatis, canaliculatis, carinatis; um-

bella capsulifera; petalis ovatis; staminibus simplicibus. *Santi Viagg. al Mont.* 352. *t.* 7.

Flores candidi. Aprili. *Perenn.*

5. ALLIUM *subhirsutum* L.

A. caule planifolio, umbellifero; foliis inferioribus hirsutis; staminibus subulatis. L.

Moly Dioscoridis. *Clus. Hist.* 192.

Flores candidi. Aprili, Majo. *Perenn.*

6. ALLIUM *porrum* L.

A. caule planifolio, umbellifero; staminibus alterne tricuspidatis; radice tunicata. L.

Porrum. *Dodon. pempt.* 688.

Flores purpureo-virides. Junio. *Bienn.*

7. ALLIUM *vineale* L.

A. caule teretifolio, bulbifero; staminibus tricuspidatis. L.

Allium sylvestre tenuifolium. *Dodon. pempt.* 683.

Flores purpurei. Junio. *Perenn.*

8. AMMI *majus* L.

A. foliis inferioribus pinnatis, lanceolatis, serratis; superioribus multifidis, linearibus. L.

Ammi vulgare. *Dodon. pempt.* 301.

Flores albi. Junio. *Ann.*

9. AMARANTHUS *blitum* L.

A. caule ramoso, procumbente, diffuso; foliis petiolatis, ovatis; glomerulis axillaribus, triandris; floribus trifidis. *Loisl. Fl. gall.*

Blitum rubrum supinum. *Lob. Ic.* 250.

Flores herbacei. Junio, Julio, Augusto. *Ann.*

10. AMARANTHUS *retroflexus* L.

A. racemis pentandris supradecompositis, confertis, erectis; ramis pubescentibus; foliis ovatis undulatis. W.

Flores virides. Julio, Augusto. *Ann.*

11. ANAGALLIS *arvensis* L.

A. foliis indivisis, caule procumbente. L.

Anagallis phœniceo flore. *Bauh. pin.* 252.

Flores purpurei. Junio. *Ann.*

12. ANCHUSA *angustifolia* L.

A. racemis subnudis, conjugatis. L.

Buglossum angustifolium minus. *Moris. Hist.* 3. *p.* 438. *s.* 11. *t.* 26. *f.* 4.

Flores purpureo-violacei. Aprili, Majo. *Perenn.*

13. ANEMONE *hortensis* L.

A. foliis radicalibus digitatis, laciniis trifidis; caulinis ternis, lanceolatis, connatis, subdivisis; seminibus lanatis. *Wild.*

Anemone hortensis latifolia tertia. *Clus. Hist.* 1. *p.* 249.

Flores purpurascentes. Februario, Martio. *Perenn.*

14. ANETHUM *phœniculum* L.

A. fructibus ovatis. L.

Phœniculum. *Dodon. pempt.* 297.

Flores lutei. Julio, Augusto. *Perenn.*

15. ANTHEMIS *tinctoria* L.

A. foliis bipinnatifidis, serratis, subtus pubescentibus; caule erecto, ramoso; pappo membranaceo, integerrimo. *Wild.*

Crysanthemum foliis Tanaceti, flore aureo. *Barr. Ic.* 465.

Floret Majo ad totam Æstatem, atque etiam Autumnum. *Perenn.*

16. ANTHEMIS *arvensis* L.

A. receptaculo conico, paleis lanceolatis, acutis, carinatis, exertis; foliis bipinnatifidis, pilosis. *Bivon. Cent.* 2.

Cotula alba. *Dodon. pempt.* 258.

Flores radio albo, disco luteo. Majo, Junio, Julio. *Ann.*

17. ANTHEMIS *cotula* L.

A. receptaculo conico, paleis setaceis; seminibus muticis; foliis bipinnatifidis, glabriusculis. *Smith. Fl. Brit.*

Chamæmelum fœtidum, sive Cotula fœtida. *Joan. Bauh. Hist.* 3. *l.* 26. *p.* 120.

Flores disco luteo, radio albo. Junio, Julio. *Ann.*

18. ANTIRRHINUM *majus* L.

A. corollis ecaudatis; foliis lanceolatis, oppositis; floribus racemosis; calycinis segmentis glanduloso-pilosis ovatis obtusis. *Wild.*

Antirrhinum. *Dodon. pempt.* 182.

Flores purpurei. A Februario ad totam Æstatem; sub ipso Hyeme. *Perenn.*

19. ANTIRRHINUM *Cymbalaria* L.

A caulibus procumbentibus; foliis cordatis, lobatis; floribus axillaribus, solitariis, longissime pedunculatis *Lin.*

Cymbalaria. *Matth. Valgr.* 1124.
Flores albo-cœrulei. Toto anno. *Perenn.*

20. ARENARIA *serpillifolia* L.
A. foliis subovatis, sessilibus, acutis; corollis calyce brevioribus. L.
Alsine minor. *Fuchs. Hist.* 23.
Flores albi. Martio, Aprili. *Ann.*

21. ARENARIA *tenuifolia* L.
A. foliis subulatis; caule paniculato; capsulis erectis; petalis calyce brevioribus, lanceolatis. L.
Alsine tenuifolia. *Bauh. Hist.* 3. *p.* 364.
Flores albi. Martio, Aprili. *Ann.*

22. ARNOPOGON *picroides W.*
A. calycibus hispido-aculeatis; foliis runcinatis, denticulatis, caulinis basi dilatatis. W.
Tragopogon picroides L.
Flores lutei. Aprili, Majo, Junio. *Ann.*

23. ARTEMISIA *vulgaris* L.
A. foliis subtus tomentosis, caulinis pinnatifidis, laciniis lanceolatis, subdentatis, acutis, floralibus indivisis, linearibus, lanceolatis; floribus subsessilibus, oblongis, erectis; calycibus tomentosis. W.
Artemisia latifolia. *Fuchs. Hist.* 84.
Flores subrubri. Julio, Augusto. *Perenn.*

24. ARUM *italicum Lam.*
A. acaule; foliis albo-venosis, hastato-sagittatis, lobis auriculatis, divaricatis; spadice clavato, spatha breviore. W.

Flores luteo-virides. Aprili. *Perenn.*

25. ASPHODELUS *fistulosus* L.

A. caule nudo; foliis strictis, subulatis, striatis, subfistulosis. L.

Asphodelus minor. *Clus. Hist.* 1. *p.* 197.

Flores albi, vena media purpurascente.

26. ATRIPLEX *patula* L.

A. caule herbaceo, patulo; foliis triangulari-hastatis, acuminatis, subdentatis; calycibus fructus rhombeis, apice denticulatis, disco submuricatis. W.

A. sylvestris annua, folio deltoide, triangulari, sinuato, et mucronato, hastæ cupidis simili. *Moris. Hist.* 2. *p.* 607. *s.* 5. *t.* 32. *f.* 14.

Flores herbacei. Augusto, Septembri. *Ann.*

27. AVENA *fatua* L.

A. paniculata, calycibus subtrifloris, flosculis omnibus aristatis, et inferne hirsutis. *Bertol. rarior. plant. Lig. Dec.* 1. *p.* 18.

Gramen avenaceum languinosum, utriculis lanugine flavescentibus. *Scheuz. Agrostogr. p.* 241.

Floret Majo. *Ann.*

28. AVENA *fragilis* L.

A. spica tereti fragili, calycibus 4-floris, flosculis distantibus. L.

Gramen loliaceum spurium hirsutum aristis geniculatis. *Barrel. Ic.* 905. *f.* 1. 2. 3.

Floret Majo. *Ann.*

29. AVENA *neglecta Savi.*

A. panicula densa, spiculis glabris, nitidis, subsexfloris; glumis apice bifidis; foliis planis, pilosis, mollibus. *Savi Flor. Pis. T.* 1. *p.* 132. *t.* 1. *f.* 4.
Trisetum hispanicum β *pisanum Pers. Synops.*
Floret Majo, Junio, Autumno. *Ann.*

B

30. BALLOTA *nigra* L.
B. caule erecto subvilloso; foliis ovatis, crenatis, petiolatis; verticillis pedunculatis multifloris. *Loisl.*
Ballota *Fuchs. Hist.* 154.
Flores purpurei. Junio, Julio.

31. BARTSIA *viscosa* L.
B. foliis serratis, superioribus alternis; floribus lateralibus, distantibus; antheris hirsutis. *Smith.*
Alectorolophos italica luteo-pallida. *Barrel. Ic. t.* 665.
Flores lutei. Majo, Junio. *Ann.*

32. BELLIS *perennis* L.
B. scapo nudo, unifloro, foliis obovatis, crenatis, venosis. *Wild.*
Bellis minor, *Matth. Valgr.* 912.
Flores disco luteo, radio albo venis purpureis.
Floret toto anno. *Perenn.*

33. BELLIS *annua* L.
B. caule subfolioso, foliis ovalibus, obtusis, apice crenulatis. *Decand. Synops. p.* 287.
Bellis annua minima. *Triumphett. observat.* 82. cum icone bona.

Flores radio albo, disco luteo. Februario, Martio. *Ann.*

Leander Ciuffa Philosophiæ ac Theologiæ Doctor *ad honorem*, Rei Medicæ, Botanicæ præsertim Juvenis studiosissimus reperiebat hanc Plantam in ruderibus Amphitheatri admodum raram post peractas in arena defossiones; sed in cæteris agri Romani partibus vulgatissima. Triumphettius optimam de ea dedit descriptionem, atque iconem. Ipse nullimode loquitur de pappo. Qua freti observatione Botanici retulerunt synonimon hujus Auctoris ad *Bellium Bellidioides* potius, quam ad *Bellidem annuam?*

34. Borrago *officinalis* L.

B. foliis omnibus alternis, calycibus patentibus. L.

Borrago. *Dodon. pempt.* 627.

Flores cœrulei. Majo. *Ann.*

35. Briza *eragrostis.* L.

B. spiculis lanceolatis, flosculis viginti. L.

Gramen Eranthemum, seu Eragrostis etc. *Barrel. Ic. t.* 43.

Floret Junio, Julio, Augusto. *Ann.*

36. Bromus *sterilis*. L

B. panicula nutante, subsimplici, flosculis lanceolatis, nervosis, sulcatis; foliis pubescentibus. *Smith.*

Gramen avenaceum panicula sparsa, locustis majoribus, et aristatis. *Scheuz. Agrost. p.* 258. *t.* 5. *f.* 14.

Floret Majo. *Ann.*

37. BROMUS *diandrus Smith.*

B. panicula erecto-patente, subramosa, flosculis lanceolatis, nervosis, sulcatis, diandris. *Smith.*

Bromus madritensis *Lin.*

Bromus sterilis erecta panicula major. *Barrel. Icon.* 76. *f.* 1.

Floret Majo. *Ann.*

38. BROMUS *mollis L.*

B. panicula erecta, coarctata, pedunculis ramosis; spiculis ovatis; flosculis imbricatis, depressis, nervosis, pubescentibus. *Smith.*

Gramen avenaceum pratense, gluma breviore squarrosa, et villosa. *Moris. Hist.* 3. *s.* 8.; *t.* 7. *f.* 18.

Floret Majo. *Ann.*

39. BROMUS *racemosus* L.

B. racemo simplicissimo, pedunculis unifloris; spiculis sex-floris, lævibus, aristatis. *L.*

Gramen avenaceum pratense gluma squamosa, longiore, glabra. *Moris. s.* 8. *t.* 7. *f.* 19.

Floret Junio. *Ann.*

40. BROMUS *ligusticus All.*

B. panicula contracta, nutante, secunda; pedunculis dilatatis; valvula calycina altera vix conspicua. *Savi Bot. Etrusc. t.* 1. *p.* 77.

Gramen bromoides festucea, tenuique panicula minus. *Scheuz. Agrost. p.* 296. *t.* 6. *f.* 13.

Circa finem Aprilis. *Ann.*

41. BROMUS *trivialis Savi.*

B. panicula spiciformi lobata, stricta; spiculis 2-7-

floris, hispidis, glumis internis apice bifidis; foliis planis, pilosis; culmo geniculato. *Savi Bot. Etrusc. t. 2. p. 63. Flor. Pis. t. 1. t. 2. f. 2.*

Koeleria phleoides *Pers.*

Floret Majo, Junio. *Ann.*

42. Bromus *distachyos L.*

B. spiculis sessilibus, erectis, compressis, approximatis; arista terminali. *Bert. plant. rar. gen.*

β. Br. polystachyos. *Lam. illustr.*

Festuca gracilis paucis utriculis. *Barrel. Ic. f. 3.*

Floret Majo. *Ann.*

43. Bromus *pinnatus L.*

B. culmo indiviso; spiculis alternis, subsessilibus, teretibus, subaristatis. L.

Gramen loliaceum corniculatum. *Scheuz. Agrost. 35.*

Floret Junio. *Perenn.*

C

44. Calendula *officinalis L.*

C. caule ramoso; foliis inferioribus spathulatis; seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvatis omnibus. *Loisl.*

Caltha flore simplici. *Joann. Bauh. Hist. 3. lib. 26. p. 101.*

Flores aurei. Aprili, ac tota Æstate. *Ann.*

45. Campanula *erinus L.*

C. caule dichotomo; foliis sessilibus, superioribus oppositis; 3-dentatis. *L.*

Erini, seu Rapunculi minimum genus. *Column. phytob.* 122. *t.* 37.

Flores albo-cœrulei. Aprili, Majo. *Ann.*

46. CARDAMINE *hirsuta L.*

C. foliis petiolatis extipulatis, foliolis petiolatis, inferioribus subrotundis, superioribus lanceolatis. *Biv. Cent.* 1.

Cardamine sylvestris minor italica. *Barrel. Ic.* 455.

Flores albi. Februario, Martio. *Ann.*

Planta adspectu glabra. Vix cilia in inferiori petiolorum parte deprehenduntur. Staminum numerus facile variat.

47. CAPPARIS *spinosa* L. *β inermis.*

Capparis non spinosa fructu majore. *Bauh. pin.* 480.

Flores albi. Junio, Julio. *Perenn.*

48. CARDUUS *marianus* L.

C. foliis amplexicaulibus, repandis, spinosis, radicalibus pinnatifidis; squamis calycinis foliaceis, refractis, margine aculeatis. *Smith.*

Spina alba hortensis. *Fuchs. Hist.* 56.

Flores purpurei. Majo, Junio. *Ann.*

49. CARDUUS *pycnocephalus* L.

C. foliis decurrentibus, pinnatifido-sinuatis, pubescentibus, spinosis; pedunculis nudis, tomentosis; calycibus subcylindricis, aggregatis. L. *exclusis Synonimis Barrelierii, et Triumphettii, quorum icones speciem toto cœlo diversam repræsentant.*

Flores purpurei. Majo, Junio. *Ann.*

50. CARDUUS *nutans* L.

C. caule recto, ramoso; foliis decurrentibus, sinuatis, dentatis, spinosis, utrinque glabris; floribus cernuis, squamis calycinis lanceolatis, exterioribus patentibus. *Loisl.*

C. nutans. *Bauh. Hist.* 3. *l.* 25. *p.* 56.

Flores purpurei. Junio, Julio. *Bienn.*

51. CENTAUREA *calcitrapa* L.

C. floribus sessilibus; calycibus duplicato-spinosis; foliis pinnatifidis, dentatis; caule divaricato, patente, piloso. *Smith.*

Carduus stellatus. *Dodon. Pempt.* 733.

Flores purpurascentes. Julio, Augusto. *Bienn.*

52. CENTAUREA *solstitialis* L.

C. floribus solitariis, terminalibus; calycibus duplicato-spinosis; foliis decurrentibus, inermibus, lanceolatis, radicalibus lyratis. *Smith.*

Spina solstitialis. *Dodon. pempt.* 734.

Flores lutei. Julio, Augusto. *Ann.*

53. CERASTIUM *vulgatum* L.

C. hirsutum, foliis ovatis; petalis calyci æqualibus; floribus pedunculo longioribus; capsulis oblongis; caulibus diffusis. *Loisl.*

Flores albi. Aprili. *Ann.*

54. CERASTIUM *campanulatum Viviani.*

C. adscendens, diffusum, villosum; foliis radicalibus spathulatis, caulinis oblongis; panicula dichotoma; corollis campanulatis; petalis semi-bifidis, calyce duplo longioribus.

Initio Aprilis ad Augustum. *Ann.*

55. CERASTIUM *semidecandrum* L.

C. hirsutum, decumbens; foliis oblongis, obtusis; floribus pentandris, petalis emarginatis, calyce brevioribus; capsulis oblongis. *Leisl.*

Flores albi. Martio, Aprili. *Ann.*

56. CHENOPODIUM *album* L.

Ch. foliis rhomboideo-triangularibus, erosis, postice integris, summis oblongis; racemis erectis. *L.*

Atriplex sylvestris. *Fuchs.* 119.

Flores herbacei. Junio, Julio. *Ann.*

57. CHENOPODIUM *hybridum* L.

Ch. foliis cordatis, angulato-acuminatis; racemis ramosis, nudis. *L.*

Atriplex sylvestris major anguloso folio. *Barrel. Ic.* 540.

Flores herbacei. Floret toto fere anno. *Ann.*

58. CHENOPODIUM *vulvaria* L.

Ch. foliis integerrimis, rhombeo-ovatis; floribus conglomeratis, axillaribus. *L.*

Garosmus. *Dodon. pempt.* 616.

Flores herbacei. Junio, Julio, Augusto. *Ann.*

59. CHÆROPHYLLUM *sylvestre* L.

Ch. caule striato; geniculis tumidiusculis. *L.*

Cicutaria vulgaris. *Bauh. Hist.* 3. 181.

Flores albi. Majo, Junio. *Peren.*

60. CHEIRANTHUS *cheiri* L.

Ch. caule ramoso, basi suffruticoso; foliis lanceo-

lato-oblongis, integerrimis, acutis, glabris; floribus racemosis terminalibus. *Loisl.*

Leucojum luteum. *Dodon. pempt.* 160.

Flores lutei. A Februario ad Junium. *Perenn.*

61. CHEIRANTHUS *maritimus L.*

Ch. caule scabriusculo, basi prostrato, superne erectiusculo, foliis ellipticis, obtusis, nudis, scabriusculis; floribus racemosis terminalibus. *Loisl.*

Leucojum minus flore violaceo. *Barrel. Ic.* 1127.

Flores rubri. Majo. *Ann.*

Sebastianus Rolli botanophilus attulit mihi specimen hujus plantæ lectum in ruderibus Amphitheatri.

62. CHIRONIA *Centaurium Smith.*

Ch. caule herbaceo, dichotome paniculato; foliis ovato-lanceolatis; cayce tubo breviore. *Smith.*

Gentiana centaurium. L.

Flores rosei. Junio, Julio. *Ann.*

63. CICHORIUM *intybus L.*

C. caule recto, ramoso; foliis runcinatis; floribus axillaribus, geminis, subsessilibus. *Loisl.*

Intubum sylvestre. *Fuchs. Hist.* 679.

Flores cœrulei. Julio. *Perenn.*

64. CLEMATIS *vitalba L.*

Cl. caulibus sarmentosis; foliis pinnatis, scandentibus, foliolis subcordatis, floribus paniculatis. *Loisl.*

Clematis latifolia integra. *J. Bauh. Hist.* 2. *p.* 125.

Flores albi. Julio.

65. Clematis *flammula L.*

Cl. caulibus sarmentosis; foliis inferioribus pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, summis simplicibus, integerrimis. *Loisl.*

Flammula. *Dodon. pempt.* 404.

Flores albi. Julio.

66. Cnicus *lanceolatus Roth.*

C. foliis decurrentibus, hispidis, pinnatifidis; laciniis bilobis, divaricatis, spinosis; calycibus ovatis, arachnoideo-pubescentibus; squamis lanceolatis, spinosis, patentibus. *Wild.*

Carduus lanceolatus. L.

Carduus lanceolatus, seu sylvestris Dodon. *J. Bauh. Hist.* 3. *p.* 58.

Flores purpurei. Floret circa finem Julii ad totum Augustum. *Bienn.*

67. Convolvolus *arvensis L.*

C. foliis sagittatis, utrinque acutis; pedunculis subunifloris. L.

Smilax lævis minor. *Dodon. pempt.* 393.

Flores albo-purpurei. Æstate. *Perenn.*

68. Cotyledon *umbilicus L.*

C. foliis peltatis, crenatis; caule spicato, subsimplici; floribus pendulis; radice tuberosa. *Smith.*

C. Umbilicus Veneris. *Clus. Hist.* 63.

Flores flavescentes. Majo. *Peren.*

69. Colutea *arborescens L.*

C. foliolis ellipticis, retusis; vexillis gibbis, abbreviatis; caule fruticoso. *Wild.*

Colutea. *Dodon. pempt.* 784.

Flores lutei. Majo, Junio.

70. CONYZA *squarrosa* L.

C. foliis scabris, caulinis ovato-oblongis, serratis, rameis oblongo-lanceolatis, subintegerrimis; caule herbaceo, corymboso; calycibus squarrosis. *Wild.*

Conyza major. *Bauh. Hist.* 2. 1051.

Flores lutei. Augusto. *Perenn.*

71. CONYZA *sordida* L.

C. foliis linearibus, integerrimis, pedunculis longis, 3-floris, caule suffruticoso. L.

Stoecas citrina spuria, longioribus foliis. *Barrel. Ic.* 368,, 277.

Flores luteoli. Majo, Junio.

72. CORONILLA *securidaca* L.

C. herbacea; foliolis plurimis, oblongo-cuneatis; lomentis compressis, ensiformibus. *Wild.*

Hedisarum primum. *Dodon. pempt.* 546.

Flores lutei. Majo. *Ann.*

73. CORONILLA *cretica* L.

C. herbacea; foliolis quindenis, cuneatis, retusis; lomentis teretibus, erectis, quinis. W.

Florum alæ albæ, vexillum venis purpureis striatum.

Floret Majo. *Ann.*

74. CRATÆGUS *oxyacantha* L.

C. foliis obtusis, subtrifidis, serratis, glabris; floribus digynis; pedunculis, calycibusque sub-

glabriusculis, calycinis segmentis lanceolatis acutis. W.

Oxyacanthus, seu spina acuta. *Dodon. pempt.* 751.

Flores albi. Aprili.

75. CREPIS *scariosa* W.

C. foliis lanceolatis, runcinatis, hirtis; caule folioso; floribus corymbosis; calycinis squamis exterioribus membranaceis, scariosis, longitudine calycis. *W.*

Crepis vesicaria β. L.

Cichorium sylvestre vesicarium pratense. *Column. ecphr.* 1. *p.* 238. *t.* 237.

Flores lutei. Aprili. *Ann.*

76. CREPIS *stricta*. *Scop. Flor. Carn. ed.* 2. *t.* 2. *p.* 99. *n.* 956. *t.* 47.

C. foliis radicalibus sinuatis, caulinis sessilibus, sagittatis, basique lacinatis; caule erecto paniculis sparsis, nubilibus nutantibus. *Bertol. rar. Ital. plant. dec.* III. *p.* 34.

Flores lutei. Aprili, Majo, Junio frequens. *Ann.*

77. CREPIS *fœtida L.*

C. foliis runcinato-pinnatifidis, scabris, sessilibus, summis lanceolatis, basi profunde incisis, calycibus ovatis, pilosis, angulosis. *Wild.*

Erigerum tertium. *Dodon. pempt.* 641.

Flores lutei, extus purpurascentes. Floret Julio, Augusto. *Ann.*

78. CREPIS *setosa Hall.*

C. setoso-hispida, setis rigidiusculis, patentibus; fo-

liis radicalibus lyrato-runcinatis, caulinis semi-amplexicaulibus, sagittatis, basi pinnatifidis; calycibus exterioribus laxis. *Savi. Bot. Etrusc. t.* 1. *p.* 182.

Flores lutei. Æstate. *Bienn.*

79. CHRYSANTHEMUM *Myconis L.*

Ch. caule erecto, ramoso; foliis ovato-oblongis, obtusis, serratis, basi attenuatis, semiamplexicaulibus; calycinis squamis æqualibus. *Loisl.*

C. latifolium. *Bauh. Hist.* 3. *p.* 105. *lib.* 26.

Flores lutei. Majo, Junio. *Ann.*

80. CUCUBALUS *italicus L.*

C. petalis semibifidis, calycibus clavatis; panicula dichotoma, erecta; genitalibus declinatis; caule erecto. *W.*

Flores albi. Aprili, Majo. *Perenn.*

81. CYNOSURUS *echinatus L.*

C. bracteis pinnato-paleaceis, aristatis. L.

Gramen alopecurum spica aspera. *Barrel. Ic.* 123.

Floret Majo, Junio. *Ann.*

D

82. DACTYLIS *glomerata L.*

D. panicula secunda, glomerata. *L.*

Gramen, panicula torosa, pratense, asperum. *Moris. Hist.* 3. *s.* 8. *t.* 6. *f.* 38.

Floret Majo, Junio, *Perenn.*

83. DAUCUS *carota L.* β. *sylvestris.*

D. pilosus ; foliis bi-tripinnatis , foliolis lanceolatis, dentatis , acutis ; umbella submediocri ; flosculo centrali sterili , rubro . *Savi. Due Centurie p.* 64.

Genuina sylvestris Pastinaca Dioscoridis . *Lob. Ic.* 722.

Flores albidi . Tota Æstate . *Bienn.*

84. Delphinium *peregrinum* L.

D. nectariis diphyllis ; corollis enneapetalis ; capsulis ternis ; foliis multipartitis , obtusis . *Linn. All. Flor. ped. t.* 25. *f.* 3.

Flores cœrulei . Junio , Julio , Augusto . *Ann.*

85. Dianthus *prolifer L.*

D. floribus aggregatis , capitatis ; squamis calycinis ovatis , obtusis , muticis , tubum superantibus. *L.*

Armeria prolifera . *Lob. Ic.* 449.

Flores dilute purpurei . Majo , Junio . *Ann.*

86. Draba *muralis L.*

D. caule ramoso ; foliis cordato - ovatis , dentatis , sessilibus , subamplexicaulibus ; siliculis patentibus , glabris.

Myagroides subrotundis , serratisque foliis , flore albo . *Barrel. Ic.* 86.

Flores albi . Martio , Aprili . *Ann.*

87. Draba *verna L.*

D. foliis oblongis , acutiusculis , subserratis , subhirtis ; scapo nudo ; petalis bifidis ; stigmate sessili. *Wild.*

Paronichia vulgaris . *Dodon. pempt.* 112.

Flores albi . Februario , Martio . *Ann.*

E

88. ECHIUM *vulgare L.*

E. caule tuberculato-hispido; foliis caulinis lanceolatis, hispidis; floribus spicatis lateralibus. *L.*

Flores cœrulei. Majo, Junio. *Perenn.*

89. ECHIUM *violaceum L.*

E. corollis stamina æquantibus, tubo calyce breviore. *L.*

Flores violacei. Majo. *Ann.*

90. EPILOBIUM *pubescens Roth.*

E. foliis oppositis, alternisque, subsessilibus, lanceolatis, denticulatis, utrinque pubescentibus; caule simplici, villoso. *Wild.*

Flores albo-purpurei. Julio. *Perenn.*

91. ERVUM *uniflorum Tenore. Flor. Nap. distrib.* 3. *p.* 42.

